

Dabuntur itaque per 34 quarti Io. de Monte Regio, aut
 3 Copernici etiam reliqua latera, videlicet BE, latitudo
 stellæ 53 part. 55 scrup. & ED longitudo eiusdem 36. part.
 51. scrup. ab æquinoctio verno sumpto numerationis initio,
 hoc est in 6. gradu, 51. scrup. dodecatemoriij Tauri: quod i-
 nitio inuestigandum proposuimus.

Latitudo
 nouæ stel-
 læ.
 Longitu-
 do nouæ
 stellæ.

Locum Stellæ nouæ verum secundum longi-
 tudinem & latitudinem alia via quàm
 præcedens caput docuit inue-
 nire. Cap. 12.



ALTER modus definitum eundem locum
 stellæ inueniendi, est prorsus idem ferè cum
 priori, licet sub alia diagrammatis forma
 proponatur: eum hîc quoque subiungere
 placuit, si fortè hic magis aliquibus arri-
 deat. Sit horiZon A C B D super centro I
 descriptus, A Ortus æquinoctialis, B Occasus, D Septentrio
 C Meridies, arcus A E B, Æquator ex polo mundi K de-
 scriptus, & alius F E G Zodiacus, cuius polus L: interse-
 ctio illorum punctum E principium Arietis. Meridianus
 C E I D, punctum H locus stellæ in Meridiano, per quem
 & polum Zodiaci L ducatur quadrās circuli, qui sit M H L.
 Manifestum est in hoc diagrammate quòd EC est incli-
 natio Æquatoris ad horiZontem, æqualis arcui IK, di-
 stantiæ verticis à polo mundi: KD est poli altitudo Vien-
 nensis, illique arcus æqualis IE. Sed KH est distantia stel-

M